



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus

Engel, Ludwig

Salisbvirgi, 1662

II. De Primitijs & oblationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41598

CAPUT II.

DE PRIMITIIS ET
Oblationibus.

1. *Differentia inter decimas, primitias & oblationes.*
2. *Quid debeat nomine primitiarum.*
3. *Primitiae possunt abrogari per Consuetudinem.*
4. *Ex communi sententiâ non est preceptum faciendi oblationes.*
5. *In actibus merae voluntatis non inducitur consuetudo.*
6. *quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.*
7. *etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere oblationes.*
8. *Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.*
9. *Re-*

9. Regulariter oblationes intra fines Parochie factae pertinent ad Parochum.

10. Oblationes factae in Ecclesijs Regularium pertinent ad Regulares, in funeralibus tamen debetur Parochi portio Canonica.

Inter Decimas, Primitias, & Oblationes hanc constat esse differentiam, quod *Decimae* singulis annis recognitionem universalis Domini de omnibus fructibus, *Primitiae* tantum semel de primis fructibus Novae hii agrorum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum, *Oblationes* sine determinatione temporis, qualitatis aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussâ materiâ Decimarum circa primitias & Oblationes

2. Quær. I. an nomine Primitiarum omnes primi fructus debeantur? Responsum. Primitiarum nomine in fructibus agrorum tantum portionem aliquam quae

drag

dragesimam partem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus verò non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragesimam vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendam esse. *t. & gl. in. c. 1. De Decimis.*

Quæritur 2. an Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? *R.* affirmativè, ita enim vix alicubi videmus Primitias exolvi, & quamvis Primitiæ debeantur ex præcepto, tamen hoc præceptum in novâ lege non esse Juris Divini probabilius existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi Decimas dictum est. Neque obstat, quòd Primitiæ debeantur ex gratitudine ergà Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit, nam respondetur, quòd quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus ergà Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ut ex causa gra-

O 2.

ttui-

titudinis præcisè hoc vel illud solvi
debeat, non apparet, cur tolli neque-
at, possunt enim homines per precia
aut alia pietatis opera suam erga Deum
gratitudinem demonstrare.

Quæritur 3. an sit præceptum
quod, ex quo Parochiani coguntur
certis temporibus Oblationes
facere? Difficultatem movet
omnis Christianus, 69. De Consec. dist. 1.
ubi hæc verba leguntur: *Omnis Chris-
tianus procuret ad Missarum solemnia
aliquid Deo offerre & ducere ad
memoriam, quod Deus per Moysen
dixit, non apparebis in conspectu meo
vacuus. etenim in collectis SS. Parochiani
liquidò apparet, quod omnes Christiani
offerre aliquid Deo ex usu SS. Parochiani
debent, &c.* Verùm communis
sententia, nullum esse præceptum
Oblationibus faciendis, imò de ratio-
ne Oblationis esse ut sit spontanea
juxta illud *Exodi. ab omni homi-
ne, qui offert ultroque accipietis*

textum verò in *d. c. omnis Christianus*, cum Glos. DD. intelligunt procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex Decimis non haberet *Pan. ad rubr. de Parochys n. 3. Gutierrez Canon. qq. lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac quaestione sentiam, ex resolutione sequentis quaestionis apparebit.

Quæritur 4. vtrum per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas Oblationes? In affirmativam passim conveniunt DD. *arg. c. ad apostolicam. 42. de Simonia.* Sed videtur non leviter obstare generalis doctrina, quam tradunt Interpp. *in c. Abbate. de V. S. & in l. 2. ff. de via pub.* quòd in actibus meræ voluntatis non introducatur consuetudo neque præscriptio. Respondet quidem Gutierrez. *Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 144.* hanc doctrinam fallere, quando de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod

5

liquod solidum fundamentum habere, neque probatur in *c. veniens* 10. *testib.* quod allegat Gutier. in quo licet dicatur, quod Parochiani *confecerint* vinum beneficiato dare, non tamen ibi exprimitur, qualiter haec consuetudo introducta sit, ex pacto vel propter necessariam sustentationem Parochi, &c.

¶ Quare puto hanc difficultatem libere solvendam esse, & ut libere concedo Oblationes quoad *quantitatem* & *qualitatem* esse *mere facultatis*. In genere autem & quoad se existimo habere aliquod principium obligationis ex Jure divino *ex c. 23. Exodi.* acceptatum in nova lege per usum *S. Patrum*, ut ex *d. c. omnis Christianus dist. 1. de consec.* satis apparet. enim verò mihi planè persuadeo auctoritate *tex nimis clari. in d. c. omnis Christianus.* olim in Ecclesia fuisse generalem usum per illum Canonè *con-*
firmat

firmatum, ut fideles certis saltem
 anni festivitibus inter Missarum so-
 lennia Oblationes facerent: quare si in
 aliquo loco fideles id ipsum etiã hodie
 observent, videntur vel illum Cano-
 nem ab antiquo retinuisse, vel de no-
 vo in usum deduxisse. Quòd verò gl.
 citatum Canonem interpretetur pro-
 cedere supposita necessitate Parochi;
 hanc interpretationem verbis textus
 generaliter loquentis non corre-
 spondere, & propterea *misericordem*
 esse notat aliqua glossella marginalis
 superaddita. haud quidem diffiteor,
 quin Parochiani compelli possint ad
 faciendas oblationes Parocho, si ali-
 undè congruam sustentationem non
 habeat, id tamen non probatur nec
 dicitur in illo tex *c. omnis Christianus.*
 sed potius evincitur ex principio Juris
 Divini, & Naturalis ut is, qui servit
 Altari, vivat de Altari, &c.

Dices, si saltem quoad *quantitatem*
 & *qualitatem* oblationes sunt meræ

voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc & non aliud offerre, v. g. certam quantitatem cere, certum numerum ovorum, &c. R. si tales Oblationes sint valde ab antiquo fieri solitæ & Parochus cæteroquin nullas percipiat decimas *minutas*, planè credibile est, quòd eiusmodi Oblationes nec quo ad *quantitatem* & *qualitatem* sint *mere voluntatis*, sed sint surrogatæ in locum Decimarum *minutarum*. arg. eorum quæ infra de funeralibus dicentur. Quòd si autem Parochus simul percipiat Decimas minutas, vel non percipiat quidem, prædictæ tamen Oblationes in certa specie primùm ante decennium v. g. inceperint fieri, censetur puncto Juris esse conformius, in iis non aliter induci præscriptionem vel consuetudinem, quam si Parochianis aliquando ab illis Oblationibus cessare volentibus Parochus bonâ fide

(ductur

(ductus sententiâ Gutierrez supra. n. 5. relatâ), contradixerit, & ita Parochianos huic contradictioni acquiescentes in putativâ obligatione & se in possessione hujus Juris perpetuò percipiendi certas oblationes constituerit. per ea, quæ docet gl in l. *quæ luminibus. ff. de servit. urb. prædior. Arnold. Rath. in tract. de usucap. c. 4. ass. 5. 7.*

Coeterùm circâ hanc quæstionem adhuc notari potest, quod dicit Sylv. v. *Decima n. 4.* Oblationes ratione consuetudinis esse in præcepto, quomodo est ipsa consuetudo, scil. quod offerat major pars populi, non autem semper singuli de populo, sed solùm pro majori parte solennitatum, vnde non erit alicui mortale si oblationem nonnunquam sed rarò intermittat.

Quær 5. an si parochiani per consuetudinem obligati ad faciendas oblationes, aliquando, recusent eas facere, liceat Parocho propriâ auctoritate sine Judicio Episcopi

Q. I.

à Dis

8 à Divinis Officijs & Sacramentorum administratione cessare? R. negativè, tùm quòd sæpiùs ejusmodi consuetudines requirant causæ cognitionem an legitimè introductæ sint, & Parochus non debeat esse Judex in propria causâ: tùm etiam & vel maximè quòd talis cessatio à Divinis videretur habere aliquam speciem simoniæ, quæ verò Parochus tantùm vellet Divinis propter pecuniam & oblationes administrare. *arg. c. cum in Ecclesia De Simon. Gutier. d. c. 21. m. 152.*

9 Quær. 6. cujus sint Oblationes quæ non fiunt immediatè ipsi Parocho, sed vel alteri Sacerdoti celebranti, vel certæ alicui imagini, aut in Speciali quadam Capella? R. nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine & præscriptione aliud introductum sit, omnes oblationes intra fines alicujus Parochiæ factæ, censentur esse de Jure Parochiali & pertinere ad Parochum. *c. pastoralis*

c. quoniam. De Decim. Pan. in. rub. de. Paroch. n 4. Zerola in praxi Ep p. 1. v. Parochia. v. ad quintum & communiter alij. Notanter autem dixi, nisi offerentes aliud intenderint, nam si v. g. Capella vel Ecclesia, in qua fiunt ejusmodi Oblationes, indigeat ædificatione, reparatione, aut (propter modicam ejus dotem) necessaria conservatione, in dubio Oblationes in ea potius intuitu ipsius quàm Parochi factæ censebatur, & consequenter non Parocho sed Ecclesiæ seu Capellæ acquirentur. *Riccins in praxi aur. p. 4. Res sed 297.*

Quær. 7. an etiam Oblationes 10 quæ fiunt in Ecclesijs Regularium in quibus ipsi Regulares non habent Jura Parochialia, pertineant ad Parochum? affirmat Azor. *Instit. Mor. p. 1. lib. 7. c. 27. q. 13.* nisi Regulares speciali Privilegio aut præscriptione contra Parochum muniti sint.

Verùm contrariū dicendum est cum

Paſ.

Pasqual. *in addit ad Lauret. de Franco.*
p. 2. q. 69. tex. in c. 1. de stat. Mon. &
e. nimis iniqua. De Excess. Prel. ubi
 disertis verbis statuitur, quòd nec
 Ordinarij locorum nec Parochi possint
 Regularibus circa oblationes apud
 eos factas præjudicare. Quò faciunt
 etiam declarationes Card. quas re-
 fert Pasqual *d. l. n. 3.* & Petrus de
 Murga *in suis qq. Pastor. p. 3. q. 8. n. 7.*
 & 8. quòd nimirum Regulares possint
 in Missa recipere Oblationes fi-
 delium, dummodo à perambulationi-
 bus per Ecclesiam ac similibus Ele-
 mosynarum extorsionibus abstine-
 ant. Quid autem dicendum sit de
 illis Oblationibus, quæ fiunt in Eccle-
 sijs Regularium occasione sepulture
 quam apud eos Parochianus aliquis
 eligit, inferius in cap. seq. dicitur. ni-
 mirum quòd de Iure ex his Oblationi-
 bus debeat Parocho *portio Canonica*,
 ut qui Sacramenta administrando o-
 nus habuit cum vivente, etiam de fu-
 nere sentiat utilitatem, Ca.